

vivant in communi, et ad pauperes patentibus in-
habitent.

XVIII.

Suffragia defunctorum omnium servari præcipimus, et ne missarum solemniam, præter fundatorum mentem, alio modo convertantur.

XIX.

Sint episcopi fideles et assidui verbi Dei dispensatores. In hoc enim eorum charitas dignoscitur, si gregem pascant exemplo et verbo.

XX.

Festa absque omni opere forensi excolenda, et cum

A debita veneratione celebranda hæc sunt : Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annuntiatio beatæ Mariæ; Resurrectio Domini cum die sequenti, Ascensio Domini, dies Pentecostes, Nativitas beati Joannis Baptistæ, apostolorum Petri et Pauli, Assumptio beatæ Mariæ, ejusdem Nativitas, Andreæ apostoli, et dies omnes Dominicales.

XXI.

Ecclesiæ debite dotentur ad alimoniam pastoris et cleri, ut securius invigilent super gregem, et de ejus salute sint anxii et solliciti.

ANNO DOMINI DCXXV.

VERUS

RUTHENENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN VERUM.

(Fabric. Bibl. med. et inf. ætatis.)

Verus, episcopus Ruthenensis in Galliis, qui an. 635 concilio Rhemensi interfuit. Epistolæ ejus duæ ad Desiderium episcopum Cadurcensem editæ sunt a Causio, Lect. Ant. t. I, p. 648 et 649; ad ipsum vero datæ sunt epistolæ Sulpitii Severi, episcopi Bituricensis, *ibid.*, p. 645, et Ruricii Lemoviceni n. 22 Adde Galliam Christianam t. I, p. 201.

VERI RUTHENENSIS EPISTOLÆ DUÆ.

(Can. Vett. Lect. tom. I.)

I.

Domino semper suo Desiderio papæ Verus peccator.

Jussorium vestrum accepimus una cum exemplari de litteris domui Sulpitii, ubi dominus innotuit quod istum placitum de ista synodo frater vester dominus Sulpitius alio tempore visus est immutasse. Nos hoc gratiæ vestræ jam innotueramus per servo vestro Becobeno diacono, et postea per misso vestro. Sed quia, Deo volente, dominus innotuit quod mea suggestio continebat, nos gratulati sumus quod de vestra felicitate votiva gaudia meruimus cognoscere. Interea reddimus profusum nostri famulatus officium, supplicantes, ut pro nobis Domini misericordiam exorare dignetis; et sæpius nos de vestra jubete felicitate consolare. Quia Dominus novit omnipotens quod ea quæ bona sunt, de vos semper audire et videre optamus. Annis multis vobis servire merear, apostolice Pater.

II.

Domino illustri, et a nobis peculiariter suscipiendo,

pro Dei cultore domno Desiderio optinati Verus peccator.

Accedentem filium nostrum Leodoaldum diaconum, opportunum duximus ut dominationem vestræ charitatis inquirere deberem, cum sciamus devotionem sanctæ animæ vestræ bona semper de parte nostra optare. Præsertim cum nos vestro præ omnibus patrocinio potiamur. Propterea salutantes eminentiam vestram; rogamus ut sicut dum patronia vestra elegimus, et hactenus nos defensio protectionis vestræ insigniter munivit, ita nunc quoque de conditione nepotum nostrorum, unde præfatum vobis suggerere rogamus, talem sollicitudinem atque instantiam apponatis; unde sicut nos vobis sumus, ita ipsos quoque acquiratis per omnia debitores. Reduca etiam antefato, de vestræ felicitatis eminentia, rescripto reddito, nostram sollicitudinem dignamini relevare. Dominus noster Jesus Christus custodiat corpus et animam vestram in die examinis sui Amen.